

*Sic super exaltat terra præ Regibus illum,  
 Quem facit ut solum consecret unctio cæli  
 Ungvine cum reliqui sacrentur materiali.*

Et GUILHELMUS MARLOTTUS auctores Regum nostrorum titulos excellentiores ad illius unctiois referunt dignitatem. Lib. 4. c. 19. unctio sumsit initium à nostris Regibus, quia soli fruuntur felicitate, ut digniore ungantur liquore, qui unquam de cælo in terram profluxerit, ob quem renunciati sunt vindices fidei, Hæresium hostes, & sanctæ sedis priores natu filii &c. Negari non debet, quod unctio divina sit fons & origo tituli Christianissimi &c. Scriptores qui de dignitate Regum Franciæ egerunt, unctioem adferunt pro basi omnium prærogatiuarum. Conferatur cum his, quæ Vir. suis meritis litterato orbi commendatissimus, celeberrimus Dn. Joh. Christ. Becmannus in notitiâ Dignitatum illustrium, civilium, sacrarum, Equestrium, Disp. IV. cap. II. p. 93. habet. Ampulla Remensis unum è decantatissimis Cimeliis est, quo Galli Regnum suum alia Regna antecellere putant. Est illa exigua ex vitro rudî Phiala, fœcis mediocris magnitudine, quam oleo plenam circa Ann. D. S. Remigio, cum Clodoveum Regem baptizaturus esset, alba columba attulisse fertur, indeq; Reges Galliæ adhuc ungi unguento ejus cum oleo consecrato mixto & quidem citra ullam defectûs notam, communis traditio est. vid. Thulden. Additque quantum elogium ferat citatis versibus Balthasaris de Vias, Sylva. II.

*Quam Cæli perfecit opus, cui Numina summam  
 Imposuere manum & miro Ceromate plena  
 Fluxit, ut hoc tanto Reges sacrentur olivo.*

Et Gvilelemi Britonis Philippidos Lib. II. ubi de inauguratione Philippi II. ait :

*Sceptrifero fulsit redimitus honore*

Ma-